This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

Sc 29.453



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).

11 Nov., 1890.

SYNTAXIS CATULLIANAE
CAPITA DUO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GOTTINGENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT

GUSTAVUS OVERHOLTHAUS
OSNABRUGENSIS.

PAPENBURGI
EX TYPOGRAPHIA J. J. LAUSCHER.
MDCCCLXXV.

Sc29.453

HARVARD COLLEGE
NOV 11 1890
LIBRARY.

Salisbury fund.

COGNATO DILECTISSIMO

ANTONIO THIELE

CONSIST. REG. CATH. OSNABRUG.

A CONSILIIS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

De Catulli re grammatica, quam consilio atque ordine quodam enarrare nemo ante conatus erat, novissime complures viri docti scripserunt. Ac de formis quidem linguae Catullianae disseruerunt: primus Friedericus Heussner (Observationes grammaticae in Catulli Veronensis librum, Berolini 1870.), tum Conradus Hupe (De genere dicendi C. Valerii Catulli Veronensis, dissert. phil., Monasterii 1871.), denique Adolphus Reeck (De Catullianorum carminum re grammatica et metrica, dissert. phil., Vratislaviae 1872.), qui vir Augusto Rossbachio auspicante accuratissime et doctissime rem tractavit. Praeterea Luciano Muellero auctore Catulli voces singulares collegit Franciscus Teuffel (De Catulli, Tibulli, Propertii vocibus singularibus, dissert. inaug., Friburgi Brisigav. 1872.) Sed qui Catulli rebus syntacticis explorandis atque componendis operam singularem navaverit, nondum in lucem prodiit.

Hoc jam opus arduum certe et laboriosum in me suscepturus, ego virorum criticorum benevolentiae quam maxime me commendatum volo, praesertim cum subsidio illo, quo plurimum ea in re adjuvari consuevimus, commentarios dico ad Catullum

recte planeque intelligendum satis idoneos, nimio plus destitutus sim. Nam quod Schwabius, viros illos recensens, qui olim poetam Veronensem commentariis illustraverint, dicit in Quaest. Catull. I. praef. p. II.: „vel doctissimos illos homines, quibus interpretatio Catulli plurimum debeat, non plus effecisse, quam ut multis rebus singulis bene inventis commentario pleno praeluderent“, haud dubie verum est. Neque vero, postquam Schwabius haec scripsit, commentarius novus in manus nostras venit, quamvis et idem vir doctissimus eum nobis promiserit et A. Riese a se conficiendum proxime in lucem esse proditurum annuntiaverit.

Ac jam ut pateat, quod potissimum consilium in rebus syntacticis eligendis atque proponendis secuti simus, haec praenotanda videntur:

1. Cum nostrum sit, sermonis Catulliani proprietatem exponere, omnia praeterivimus, quae ad communem loquendi usum pertinent.

2. Sed primum demonstravimus, quae Catullus ex lingua prisca et ex usu sermonis vulgaris repetiverit.

3. Deinde Catullum et cum aequalibus et cum scriptoribus aetatis Augustae comparantes ostendere conati sumus, quibus rebus cum eorum dicendi consuetudine consentiat quibusque ab ea discesserit.

4. Tum locutiones graecanicas notavimus, ea tamen cautione usi, ne quid Graecis attribueremus, quod magis minusve utrique linguae commune est.

5. Denique ea attulimus, quae apud alios scriptores aut omnino non aut raro rariusve reperiuntur.

Ut vero Catulli usus dicendi facilius atque uno

quodam conspectu cognoscatur, toto opusculo confecto, res maxime notabiles eodem ordine, quem modo indicavimus, breviter complectemur.

In rebus disponendis eandem fere rationem secuti sumus, qua usus est Draegerus in „Syntaxi historica linguae latinae“, nuperrime edita.

Locos denique Catullianos ex Schwabii editione citavimus, lectionis tamen traditae, ubi ad rem pertinere videbatur, ratione semper habita.

Caput primum.

De partibus orationis.

I. De substantivis.

1. Numerus pluralis nominum concretorum, quae dicuntur, pro singulari positus est.

In hujus generis usu, qui apud poetas aetatis Augustae, imprimis apud Vergilium et Ovidium, latissime patet, Catullus non multum a Cicerone optimisque prosae orationis scriptoribus differt.

a) Ac nominum, quae materiam aliquam significant, haec pluralia notanda sunt:

Lymphae: 27,5 ‚At vos quo lubet hinc abite, lymphae Vini pernicies' et 64,162 ‚Candida permulcens liquidis vestigia lymphis', ubi pluralis ad particulas aquae spectare videtur, quae in singulos calices infunduntur vel quibus singula vestigia abluuntur. Deinde Lucian. Mueller c. 88,6 pro librorum mss. ‚genitor nympharum' bene scripsisse videtur ‚genitor lympharum', ut nostrum ‚Gewaesser' significetur, qua vi pluralis ‚aquae' etiam a Cicerone n. d. 2,10,7 usurpatur. — *Spumae:* 64,13 ‚Tortaque remigio spumis incanduit unda'. De spuma oris etiam Cicero Verr. II, 4,66 plurali utitur. — *Ignes* et *lumina:* 62,1 sq. ‚Vesper Olympo — lumina tollit', et v. 7 ‚ostendit noctifer ignes' (conjectura probabilis), ubi pluralis ad radios stellae referri potest, ut non raro apud poetas. Sed etiam de igne ut elemento ipse Cicero

n. d. 3,10 numero plurali usus est. Significatione vero translata pluralis legitur 35,15 ‚Ignes interiorem edunt medullam.‘ — *Ligna:* 36,8 ‚Infelicibus ustulanda lignis‘. Ita de ligno comburendo pluralem etiam apud prosaicos in usu esse satis constat. — *Cineres:* 68[b],98 ‚prope cognatos compositum cineres‘. Hoc loco de cinere complurium poeta pluralem scripsit, sed 101,4 de cinere unius singularem. Posteriores autem poetae, ut Horat. carm. II, 8,9, etiam de cinere unius pluralem usurpaverunt. — *Gingivae* legitur 97,6, contra gingiva 39,19. Cum priore loco poeta magnos Aemilii dentes irrideat, haud dubie plurali numero amplitudinem gingivae ludificaturus est. Utroque numero etiam Plinius usus est.

Deinde nomina, quae ad tempestatem pertinent, duo nobis plurali numero occurrunt: c. 28,5 *frigora*, etiam in prosa oratione usitatum, et. c. 46,1 *tepores*, praeter hunc locum tantum apud Lucret. 2,517.

b) Pluralia nominum, quae loca vel res extentas significant, haec commemoramus: *Sedes* et *tecta*, saepe de domo regia; de domo hominis privati pluralis ‚sedes‘ semel c. 67,4 positus est. — *Limina:* 64,271 ‚sub limina solis‘. — *Litora:* 64,74 Piraei, ibid. v. 121 Diae, ibid. v. 172 Gnosia. Plurali litus extentum et flexionibus in partes divisum repraesentatur. Simili ratione etiam Caesar interdum plurali ‚ripae‘ utitur (cf. Kraner. ad B. G. I, 37,3). — *Flumina:* 64,89 ‚quales Eurotae progignunt flumina myrtus‘ et ibid. v. 360 ‚Alta tepefaciet permixta flumina (Scamandri) caede‘. De hoc plurali, ubi de uno tantum fluvio sermo est, uberius disputavit C. G. Jacob (De usu numeri pluralis apud poetas Lat., in Ind. lectt. schol. Portensis a. 1841 p. 19 sq.). Sed vir doctus supponens vocabulum ‚flumen‘ semper totum illud singnificare, quod nos nomine ‚Flusz‘ intelligimus, ad varias satisque artificiosas explicandi rationes confugere cogitur. Re autem vera vocabulum generatim aquam fluentem notat atque poetas pluralem eadem fere vi usurpare,

qua ‚fluctus' vel ‚undas', certis exemplis comprobatur, cf. v. g. Horat. sat. I, 1,69: ‚Tantalus a labris sitiens fugientia captat flumina' et Ov. met. I, 634 ‚limosaque flumina potat'; vide etiam Draeger „Historische Syntax der Lat. Sprache" p. 7 n. 6. — *Aequora:* 11,8 ‚qua septemgeminus colorat aequora Nilus' et 64,7 ‚caerula verrentes abiegnis aequora palmis.' Quum in eodem mari diversa spatia plana i. e. aequora discerni possint, pluralis propriam suam vim tenet. Plane eadem ratione explicandus est pluralis in c. 63,88 ‚prope *marmora* pelagi'. — *Maria:* 63,48 ‚Ibi maria vasta visens'. Quod Attis stans in litore Troiae visit, re vera unum tantum mare est; sed qui mare latissime patens et in diversas partes extentum conspicit, facillime existimare potest, se complura maria videre; accedit quod Attis regionis plane ignarus est. — *Sola:* 63,7 ‚Etiam recente terrae sola sanguine maculans', ubi plurali diversa loca, quae sanguine maculantur, pulchre oculis subjiciuntur. Alia ratione de diversis terris ibid. v. 40 legitur: ‚Lustravit (Sol) aethera album, sola dura, mare ferum'. Huius pluralis nonnulla exempla ex poetis atque unum ex ipso Cic. p. Balbo 5,13 congessit Ruddim. Inst. Gr. Lat. I. p. 150.

c) Pluralem partium corporis, qui apud poetas aetatis Augustae frequentissimus est, apud Catullum unum tantum ‚terga' 63,10 observavi. Contra singularis ‚cervice' legitur 63,83, quum Cicero semper numero plurali usus sit cf. Kuehnast. Die Hauptpunkte der Livian. Syntax p. 66.

d) Alia denique pluralia, quibus poetae posteriores ad res amplificandas saepissime diversisque rationibus uti solent, apud Catullum leguntur: c. 64,368 ‚alta polyxeniâ madefient caede *sepulcra*' (de sepulcro Achillis) et 64,401 ‚optavit genitor primaevi *funera* nati'.

2. Numerus pluralis nominum abstractorum.

a) Pluralis rem aliqua ratione variam significat,

sive eadem res in variis hominibus, rebus, locis, temporibus repetitur, sive rei varia genera vel rationes indicantur (cf. Jacob. l. l. p. 7.), sive magnitudo vel vis quaedam, quam res (plerumque affectus) in se habeat, ostenditur, qui usus tam oratorum quam poetarum proprius est.

Jam satis est, ut exempla notatu dignissima breviter afferamus.

Frequentissima sunt pluralia nominum, quae affectum significant, ut: amores 7,8; 13,9; 64,334. 372 alibi saepe; timores 64,99; furores 64,54. 94; 68^{b},129; irae 64,194; moerores 65,15; laetitiae 76,22; cachinni 13,5; luctus 64,71; luctus et incendia mentis ibid. 226; fletus 64,242; 99,5; singultus 64,131.

Praeterea commemoramus: stellarum ortus obitusque 66,2; austri flatus 26,2; otia libera degere 68^{b},104; languidos conjungere somnos 64,331; multi languores 55,31; connubia 64,141. 158 cf. infra 3. a)

b) Pluralem concinnitatis, quem dicunt, nusquam apud Catullum observavimus.

3. Pluralis generis.

a) nominum appellativorum. In c. 64,297 Prometheus poenam persolvisse dicitur ‚pendens e *verticibus praeruptis*', quamquam re vera ex uno tantum vertice pendebat. Pluralem generis etiam c. 30,1 ‚*unanimis* false *sodalibus*' statuendum existimo, cum Alfenus in solum Catullum falsum se praebuerit, ut recte Heysius (Catulls Buch der Lieder in deutscher Nachbildung, Berlin 1855.) verterit: ‚falsch gegen den Busenfreund.' Non vero huc referendus est pluralis ‚connubia' 64,141 — quo loco Ariadna de connubio inter se et Theseum ineundo loquitur — ut ex apposito pronomine ‚nostra' ibid. v. 158 luculenter apparet; sed plurali numero usus connubii vel gaudia vitae conjugalis spectantur. Eadem ratione ex poetis maxime Vergilius pluralem usurpasse videtur cf. Aen. III, 319; IV, 213. 316; IX, 600; XII, 42 alib.

b) nominum propriorum:
Caesios, Aquinos 14,18. Syrias Britanniasque 45,22. Praetera commemorandus est locus c. 29,20, ubi lectionem traditam, certe vitiosam: ‚hunc Galliae timet et Britanniae', critici non pauci ita emendaverunt, ut ‚Galliae et Britanniae' pluralia gen. explicanda sint.

4. Substantiva abstracta pro concretis usurpata sunt.

a) Saepe ad homines laudandos vel vituperandos: Amores=amica 6,16; 10,1; 40,7; 45,1; 64,27; semel tantum 71,3 singularis reperitur. Item ‚amores' de puero amato 15,1; 21,4; 38,6. Deliciae 2,1; 3,4; 6,1; 32,2. Desiderium 2,5. Vita mea 45,13; 104,1; 109,1; tua 68^{b},155. Lux mea 68^{b},132. 160. Decus innuptarum 64,78. Nostrae venenum vitae, pestis amicitiae 77,5. Quae adhuc enumeravi vulgo et a poetis et a Cicerone sic usurpantur. — Sed alibi raro aut non reperiuntur: Mei lepores 32,2. Obprobria Romuli Remique 28,15 (etiam Tac. an. III, 66: obprobrium majorum). Emathiae tutamen opis 64,324, sed saepe apud poetas ‚tutela' et ‚praesidium' leguntur. Pater essuritionum = Haupt der Hungerleider 21,1. Saecli incommoda, pessimi poetae 14,23. Porus et Socration vocantur ‚scabies famesque saecli' 47,2. ‚Jocum (ein Narr) me putat esse moecha turpis' 42,3. Stupor=homo stupidus 17,21.

b) Significatione collectiva:

Praeter pubes, genus, progenies notanda sunt: Custodia=custodes 62,33 (singularis etiam apud Verg. et. Ov., sed apud scriptores optimos tantum pluralis in usu est). Adulterium=adulteri 113,4. Canities= cani capilli 64,224.

His addo: Conjugium=conjux (cf. Forbiger ad Verg. Aen. II, 579).

5. Loco adjectivi substantivum appellativum alteri appellativo attributum est:

*Anum*que matrem (emend. ex ‚suamque matrem') 9,4. Charta *anus* (libri optimi: ‚certa') 68^{b},46. Fama

anus 78,10. Comae *sorores* 66,51. O patrona *virgo* 1,9. Dea *domina* 63,91: ‚Dea magna, dea Cybebe, Dindymei dea domina‘, sic recte interpungendum esse ostendit L. Mueller. praef. edit. p. XXVIII. Famuli *herifugae* (ἅπ. λεγ.) 63,51. Cerva *silvicultrix* (ἅπ. λεγ.) 63,72. *Vindice* poena 64,192. — Sed huc non pertinent ‚senes viri‘ 61,186 et ‚rivales socii‘ 57,9, quum ‚senex‘ et ‚rivalis‘ vera sint adiectiva. Idem dicendum est de ‚cinaedus‘ c. 33,2: ‚cinaede fili‘, ut ex comparativo ‚cinaedior‘ 10,24 probatur.

Constat scriptores optimos illa ratione tantum substantiva mobilia et pauca alia (cf. Naegelsbach. Lat. Stilist. p. 196 sq.) cum substantivis coniungere, poetas vero et scriptores posteriores latius illum usum extendere. Sed nondum exstitit, qui omnia exempla accurate congesserit. De priscis scriptoribus cf. Holtze Syntaxis prisc. script. Lat. I. p. 6 sq.

II. De usu adiectivorum.

1. De adiectivorum et participiorum usu substantivo:

A. Neutrum singulare rarissime apud Catullum substantivi locum tenet.

Duobus locis adiectivo pronomen adiunctum est (cf. Naegelsbach. l. l. p. 73): 86,3 ‚*totum illud* formosa nego‘ et 67,27 *nervosius illud* (‚ein gestaehlteres Etwas‘, Heysius). — Deinde adiecta praepositione reperiuntur: *in tuto* 31,6 et *in perpetuum* 101,10, quae locutiones vulgo apud scriptores in usu sunt (Naegelsbach. ibid. p. 66 sqq.). Praeterea nihil obvium est, quod memoratu dignum sit.

B. Neutrum plurale.

Quod ad nom. et acc. attinet, eos tantum locos affero — neglectis tamen participiis ‚dicta promissa facta‘, quae vulgo substantivi locum tenere solent —

quibus adiectivum vel participium attributo praeditum est, sive altero adiectivo ut: 8,6 *illa multa iocosa,* 64,316 *lanea morsa,* 63,75 *nova nuntia,* 3,14 *omnia bella,* 64,405 *omnia fanda nefanda* (sed cf. de plurali ‚omnia' Naegelsb. l. l. p. 76) sive genitivo, de quo infra in casuum doctrina disputabimus. — Deinde semel dativus reperitur 64,120: *omnibus his,* sed nusquam genitivus; nam in c. 14,7 ‚tantum impiorum' genitivus masc. gen. statui potest.

C. Masculinum singulare.

Omissis nominibus, quae vulgo ut substantiva usurpari solent (cf. Draeger. p. 36 sq.), primum commemoro gentilicia, quibus certa persona significatur ut: *Daulias* = Procne 101,14. *Amathusia* = Venus 68^{b},51. ‚Hic est merus *Thyonianus*' = Bacchus 27,7, metonymice pro vino. *Bononiensis* rufa 59,1; sic enim cum Westphalio (Catulls Gedichte in ihr. geschichtl. Zusammenhange p. 137) scribendum censeo. Hunc usum apud poetas frequentissimum esse satis constat; sed ne a prosa quidem oratione alienus est, imprimis rerum scriptores pro nomine ducis non raro gentilicium ponunt. — Ad idem genus dicendi etiam pertinent: ‚In *Magni* (sc. Pompeii) ambulatione' 55,6 et *noctifer* (ἅπ. λεγ.) = Vesper 62,7.

Deinde compluribus locis adiectivo pronomen demonstrativum attributum est ut: hic pulcher 79,3; huic bello 24,8; hunc malum 29,21; malus hic 64,175; illi fatuo 83,2. Sed recte fortasse Naegelsbachius (l. l. p. 82) monet, vim substantivam non in adiectivo, sed in ipso pronomine positam esse, id quod in pronominibus indefinitis quidem certo accidit.

Tum notabilis est dativus *nulli* 70,1, qui raro omnino apud scriptores latinos substantivi locum tenet.

Denique commemorandum videtur, quod poeta singularem adiectivorum nunquam significatione collectiva pro substantivo usurpavit.

D. Masculinum plurale.

Cum in huius generis usu, qui etiam in prosa oratione late patet, Catullus nihil notabile praebeat, exempla promere non opus est.

E. Separatim affero participia generis masculini.

a) praesentis.

Pauca tantum exempla eaque poetis familiarissima leguntur: Bacchantis 64,61. Cupido amanti 70,3; amantem 72,7; amantes 64,335 et 66,31; anxiis (?) amantibus 61,47. — Sed nominativus singularis, qui a scriptorum classicorum usu prorsus alienus et ablativus, qui paulo insolentior est (cf. Naegelsbach. l. l. p. 92 sq.) apud Catullum non reperitur.

b) perfecti.

Praeter saepissime a poetis usurpata ‚natus nata nupta' Catullus etiam usurpavit *innuptae* 62,6.12.36; 64,78. His accedit unum deponens 37,17: ‚une de *capillatis*'.

2. Ellipsis substantivi in his exemplis statuenda est:

Minacis *Adriatici* sc. maris 4,6, apud solum Catullum, sed similiter ‚Jonium' apud Verg., Prop., Ov. (cf. Draeger l. l. p. 49). *Falernum* sc. vinum 27,1. *Rigidâ* meâ sc. mentula 56,7 (ἅπ. λεγ.). *Dextra* sc. manus 33,3; 64,230 alibi, item *sinistra* 47,1, quae usu trita esse constat.

3. Adiectivum pro adverbio his locis positum est:

Ac primum commemoro adiectiva, quae affectum vel animi conditionem significant: Quam te libenter quamque laetus inviso 31,4; laetus veni 61,8; age ferox i 63,78; ferox quate v. 83; perdita pendebat 64,70 et v. 119 deperdita laetabatur; alacres furebant 64,254; miser vive 8,10; sed tu insulsa male et molesta vivis 10,33.

Deinde loci rationem exprimunt: Sedens adversus 51ª,3; praeceps agitur 65,23; praeceps volutus 68ᵇ,59; prona cadit 64,109; ne supinus eat 17,4;

praesens hortatus est 64,396; praesentes invisere 64,384.

Praeterea numerum significant: Tota exarsit 64,93; virginitas non tota tua est 62,62; rogaberis nulla (=non) 8,14; quam si nulla sit usquam 17,20.

Quae hucusque enumeravi exempla etiam apud optimos scriptores in usu sunt; cf. imprimis Haase ad Reisig. Schol. Lat. n. 390—396 et Naegelsbach. l. l. p. 225 sqq.

Sed poetarum magis propria haec adiectiva sunt quae temporis rationem exprimunt, ut: rapidae sequuntur 63,34; citus adit 63,30; citus abiit 63,42; citata cepit 63,8; lentus irrumasti 28,10. Neque vero Catullus in hoc dicendi genere tantum processit, quantum poetae aetatis Augustae, scriptoresque posteriores cf. v. g. ‚nocturnus vocat Cithaeron' Verg. Aen. V, 303; ‚serus in coelum redeas' Horat. c. I,2,45; ‚repens alia nuntiatur clades' Liv. XXII, 8,1 (v. plura apud Kuehnast. l. l. p. 56 sq.).

Quodsi C. P. Schultze (De Catullo Graecorum imitatore, dissert. philol., Jenae 1871) p. 6 affirmat, saepe numero Catullum antiqui vel cotidiani sermonis consuetudinem secutum adiectiva adverbiorum loco posuisse, ego quidem nescio, quibus argumentis ea sententia fulciri possit; immo vero antiqui scriptores rarius cautiusque hoc dicendi genere usi sunt quam posteriores (cf. Holtze l. l. I. p. 27 sq.). Idem vir lectionem traditam in c. 10,26: ‚commoda nam volo ad Serapim deferri' retinere et ita explicare vult, ut ‚commoda' (loquitur enim puella) adiectivum et pro ‚commodum' vel ‚commode' dictum sit; sed hac explicandi ratione poetae non solum insolentia quaedem sermonis imputatur, sed ipsa notionum adiectivi et adverbii inter se confusio, cum illa significatione adiectivum nullo modo subiecti attributio cogitari possit, id quod in dicendi genere, de quo agitur, aliqua saltem ratione semper requiritur.

III. De pronominibus.

1. Pluralis, quem dicunt modestiae, quo unus de se ipso loquens utitur, Catullo non solum familiarissimus est, sed saepissime etiam utrumque numerum promiscue posuit. Ac quum in carminibus quinquaginta sex solum numerum singularem legamus, in quatuor solus pluralis, in undeviginti uterque numerus promiscue usurpatur, ac saepe quidem interpositis paucis tantum verbis, aliquoties vero etiam uno nullove. Jam satis est, ut huius generis nonnulla exempla expromamus:

C. 64,139 sq.: ‚At non haec quondam *nobis* promissa dedisti
Voce: *mihi* non haec miserae sperare iubebas.‘

77,4: ‚Ei *misero* eripuisti omnia *nostra* bona.‘

68[a],37 sq.: ‚no*lim* statuas *nos* mente maligna
Id facere . . .‘

68[b],132: ‚Lux *mea* se *nostrum* contulit in gremium‘.

6,16: ‚Dic *nobis*. *Volo* te ac tuos amores‘...

116,3: ‚Qui te *lenirem nobis*‘.

2. Pronomine *vester* pro *tuus*, quo unum alloquatur, poeta certe tribus locis usus est:

c. 39,20 sq.: ‚Ut quo iste *vester* expolitior dens est,
Hoc *te* amplius bibisse praedicet loti.‘

71,3: ‚Aemulus iste *tuus*, qui *vestrum* exercet amorem.‘

99,6 sq.: ‚Dum *tibi* me purgo nec possum fletibus ullis
Tantillum *vestrae* demere saevitiae.‘

Praeterea huc pertinet c. 55,21 sq.: ‚Vel si *vis* licet

obs*eres* palatum, Dum *vostri* sim particeps amoris', si Schwabii emendatio (in codd. ‚nostri sis'), satis certe probabilis, vera est. Sed aliis locis, quos huc referre possis, pronomen ‚vester' non necessario unum significat. Cf. Schwabii Quaest. Catull. p. 152 sqq.

3. Pronomen ‚hic' in c. 97,3: ‚Nilo mundius hoc nilostque immundior ille' pronomini ‚ille' ita oppositum est, ut ‚hic' ad notionem referatur loco quidem remotiorem, sed sententia propiorem. Cf. de hac re Draeger. l. l. § 43,1.

4. Pro usitato ‚altera . . . altera' in c. 57,4 legitur: ‚altera et illa.'

5. Si lectio tradita in c. 62,34 sq.:

‚Nocte latent fures, quos idem saepe revertens
Hespere, mutato comprendis nomine *eosdem*,'

vera est, locum habes, quo per pleonasmum relativum praecedens pronomine ‚idem' recipitur. Ac pronomina ‚hic ille iste' quidem interdum ad vim oppositionis augendam sic repetuntur, cuius generis Draeger. l. l. 67 sq. ex Cicerone nonnulla exempla attulit. Sed nostro loco neque oppositio exprimitur neque omnino de pronomine ‚idem' usus ille constare videtur. Quam ob rem nescio an J. Schraderi coniectura, admodum certe ingeniosa, qui ‚Eous' scribendum existimat, cum Schwabio, Muellero al. recipienda sit.

6. In c. 3,7 ‚suamque norat ipsam' (cf. etiam 2,9 ‚sicut ipsa') pronomen ‚ipse' ex more servorum usurpatum est, qui herum vel heram absolute ‚ipsum' vel ‚ipsam' vocabant; de hoc comicorum usu cf. Holtze l. l. I. p. 366.

7. Pluralis ‚utrique' legitur c. 57,3 ‚maculae pares utrisque' et v. 6 ‚gemelli utrique', quamvis unus tantum utrobique sit.

8. Pronomen ‚quisquam' semel c. 99,9 ‚ne quicquam nostro contractum ex ore maneret' in elocutione finali negativa positum est, qui usus raro reperitur cf. Draeger. l. l. p. 81. Vix vero notabile est,

quod in c. 76,7 ‚quisquam' post ‚quaecunque' legitur, cum hoc pronomen vim particulae conditionalis in se habeat.

IV. De adverbiis.

1. More graeco Catullus semel adverbium loco adiectivi substantivo attribuit c. 4,10: ‚Iste *post* phaselus'. Sed in c. 68[b],105: ‚quo tibi tum casu, pulcherrima Laudamia, ereptum est—coniugium' et 8,6: ‚Ibi illa multa tum iocosa fiebant' adverbium *tum* collocatione apud poetas satis frequenti ad verbum referri potest.

2. De nonnullorum adverbiorum usu haec promimus:

Pro ‚tum' adverbia loci posita sunt: *ibi* c. 63,42. 76; 66,33; *hic* 10,24; 44,13; 64,269; *inde* 64,225. 298.

Deinde vice pronominis funguntur et personam significant: *indidem* = ex iisdem sc. liberis c. 61,214; *istinc* (Silligii emendatio certa) = ab ista 76,11; *hinc* = a me 68[a],10 (eadem ratione saepe apud comicos cf. Holtze l. l. I. p. 63 sq.

‚Huc et huc' 61,34 pro ‚huc — illuc' scriptum est, ut interdum apud poetas.

‚Non iam' pro usitato ‚iam non' 76,23 legitur.

V. De verbis.

A. De verbis simplicibus et compositis.

1. Ad verba simplicia pro compositis usurpata, quae Hupius l. l. p. 27 sq. collegit, haec addenda sunt:

Poetis familiarissimum illud ‚linquere' etiam c. 31,6; 46,4; 61,27; 63,67 legi, vix operae pretium est, ut moneam; deinde mittere pro dimittere repe-

ritur etiam c. 64,221 et tueri pro intueri c. 66,89; sed vadere 63,86 p. evadere positum non est. Omnino autem Hupium effugerunt: apisci 64,145; dare (liberos) p. edere 61,67. 212; flere p. deflere 39,5; 96,4; lecti p. electi 64,4; ridere p. irridere 56,3; solari p. consolari 38,5. Denique duo commemoranda sunt, quae alibi non leguntur: scribere p. conscribere c. 37,10 ‚frontem tabernae scipionibus (?) scribam' et cacare p. concacare 36,1. 20: ‚cacata charta.'

2. Contra nonnulla verba composita pro usitatis simplicibus inveniuntur: c. 64,210. 235 sustollere p. tollere; 106,2 discupere = vehementer cupere; 64,213 concredere p. credere, quae verba linguae priscae propria sunt, quamvis ‚concredere' interdum etiam apud Ciceronem, Horatium, Propertium legatur. Praeterea incingere p. cingere c. 64;258. 308, quod etiam Ov. et Verg. usurpaverunt.

3. Utrum cum criticis c. 61,29 ‚super irrigat' et 64,286 ‚super impendentes' scribi oporteat, an verba decomposita, quae vocantur, statuenda sint, mihi non plane constat. Facile quidem in c. 64,286 ‚super' adverbium explicari potest, sed ‚super irrigat' certo aliquam dubitationem movet. Aut enim, si ‚super' praepositionem esse censemus, ad ‚irrigare' obiectum desideramus, aut, si adverbium est, ‚super' pro ‚desuper' dictum existimandum est.

B. De generibus verbi.

1. Verba transitiva significatione intransitiva posita duo notanda sunt:

mutare p. mutari c. 22,11 (etiam Varro et saepe Livius) et priscorum poetarum illud offirmare 76,11, si lectio Cod. G. tenenda est.

2. De verbis intransitivis cum obiecto transitivo coniunctis infra disputabitur cf. de usu accusativi n. 1.

3. Participia verborum deponentium vi passiva

Catullus tantum vulgo usitata posuit: meditatus 62,12; comitatus 63,32; testatus 68[b],122.

C. De persona verbi.

1. Ex verbis impersonalibus memoratu dignum est unum ‚lugetur' 39,5, quod solus Catullus usurpasse videtur.

2. Praeterea notabile est passivum personale, quod dicunt, a verbo ‚credere' formatum c. 77,1: ‚mihi credite amice', quo etiam Ov. et Verg. usi sunt.

Caput secundum.

De enunciato simplici.

I. De subiecto et praedicato.

1. Constructio ad sensum.

a) Cum nomine collectivo in numero singulari posito pluralis verbi duobus locis coniunctus est: c. 64,256 sqq. ‚Harum pars — quatiebant, pars — iactabant, pars sese — incingebant, pars — celebrabant' et c. 64,276 sq. ‚linquentes regia tecta ad se quisque — discedebant.' Tamen observandum est, altero loco ‚harum', altero ‚linquentes' praecedere, ut Catullus eandem regulam secutus sit, quam Wagner. Quaest. Vergil. VIII, 4 a Vergilio servatam ostendit.

b) Ad numerum singularem substantivi collectivi pluralis pronominis relativi refertur: c. 67,12 sq. ‚Verum istud *populi* fabula, Quinte, facit, *qui*—ad me omnes *clamant*.' Similiter in c. 64,145 sq. ‚Nulla (sc. femina) *viri* speret sermones esse fideles, *quîs*' cet., singularem nominis communis, vi collectiva usurpati, numerus pluralis relativi sequitur.

2. Saepissime adverbia cum verbo ‚esse' coniuncta praedicatum efficiunt: c. 3,13 vobis male sit; 14,10 non est mihi male, sed bene ac beate; 23,15 quare non tibi sit bene ac beate? 10,18 non mihi tam fuit maligne; 23,5 est pulcre tibi cum tuo pa-

rente; 38,1 sq. Malest, Cornifici, tuo Catullo, malest me hercule et est laboriose. — Sunt istae locutiones linguae vulgaris ideoque imprimis apud comicos reperiuntur; cf. Holtze l. l. II. p. 6 sq.

Praeterea leguntur: c. 7,1 ‚quot mihi basiationes—sint satis superque' et ibid. v. 10; 62,8 sic certest; 64,137 tibi nulla fuit clementia praesto; 72,7 quî potis est? et 76,24 quod non potis est; sed aliis locis (cf. c. 65,3 et 115,3) ‚potis' adiectivum est.

3. Ellipsin verbi finiti Catullus raro et caute tantum admisit.

Praeter usitatam omissionem verbi substantivi *est* in enunciatis quibusdam brevibus (cf. Naegelsbach. l. l. p. 510 sq.) — ut in exclamatione vel affectus significatione: c. 62,3 ‚Surgere iam tempus', 61,156 sq. ‚En tibi domus ut potens Et beata viri tui', 113,4 ‚fecundum semen adulterio'; in enumeratione vel descriptione: cf. c. 22,6 sqq., 57,3 sqq., 64,184.186, 68[a],34 sq.; in locutionibus quibusdam sermonis quotidiani: ‚nec mirum' c. 23,7; 57,3; 62,14; 69,7, ad quas etiam pertinent c. 10,31 ‚quid ad me'? 62,37 ‚quid tum?' 55,10 ‚Camerium mihi' sc. date, reddite (cf. Madvig. gram. Lat. §. 479 d. et not. 1.) —tria tantum exempla notabilia sunt: 1) usus adverbii *pote* non adiecto verbo substantivo c. 17,24; 45,5; 67,11; 76,16; 98,1, qui usus linguae antiquae magis proprius est; 2) omissio copulae *est* in enunciato relativo c. 1,8 ‚Quare habe tibi quidquid hoc libelli, qualecunque', 3) coniunctivi *sit* in interrogatione obliqua c. 10,31 ‚Verum utrum illius an mei, quid ad me?' ubi a sermone acri et familiari excusationem habet. — Sed in c. 63,72 ‚Ubcerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus' non ellipsis statuenda, sed ex verbis praecedentibus ‚vitam agam' persona tertia repetenda est. Similiter ibid. v. 63 ex sequentibus verbis ‚fui' et ‚eram' supplendum est ‚sum.'

II. De temporibus et modis.

1. Praesens pro futuro tempore positum est: c. 1,1 ‚Quoi *dono* lepidum novum libellum? et c. 63,55 ‚Ubinam aut quibus locis te positam, patria, *reor?*‘ Sic interdum praesens usurpatur, si quis se ipsum interrogat, quid iam facere vel cogitare debeat (cf. Madvig. gram. Lat. §. 339 not. 2,d). Imprimis hic usus apud comicos reperitur et in lingua vulgari satis frequens fuisse videtur. Vide exempla non pauca, quae congessit Holtze l. l. II. p. 67—69; cf. etiam Draeger. §. 139. Eadem fere significatione in c. 100,5 coniunctivum dubitativum legimus: ‚Cui faveam potius? Caeli, tibi.‘

2. Praesens actionem significat, quae ex praeterito tempore in praesens extenditur: c. 68[a],36 ‚Huc una ex multis capsula me *sequitur*‘; cf. Draeger. p. 204 sq.

3. Praesens historicum in quatuor omnino carminibus reperitur, ac semel quidem in c. 44 et 66, sed saepe in c. 63 et 64. Attamen minime dici potest, poetam raro hoc tempore usum esse, quum plurimorum carminum indoles ea sit, ut eo uti vix potuerit. Ac iam satis est, ut eos locos afferamus, quibus in eadem enunciatione praesens historicum et praeteritum inter se excipiunt. Imprimis, ut saepe apud poetas, coniunctionem temporalem cum perfecto constructam in elocutione primaria praesens historicum sequitur: c. 63,27 sqq. ‚Simul . . . cecinit — ululat, remugit, recrepant, adit‘; c. 64,31 sqq. ‚simul . . . advenere — frequenta, oppletur; cet.; c. 63,35 sq. ‚ut tetigere — capiunt‘; ibid. 74 sqq. ‚ut abiit — loquitur‘; ibid. 87 sqq. ‚ubi adiit teneramque vidit Attin — facit impetum‘; c. 44,21 ‚Qui tunc vocat me cum malum librum legi‘. — Praeterea commemoramus: c. 64,285—288 ‚Confestim Penios adest — Non vacuos: namque ille tulit‘; c. 66,51 sqq. ‚comae mea

fata sorores lugebant, cum se . . . obtulit . . . ales equos, isque — avolat . . . et . . . collocat.'

4. Infinitivus historicus apud Catullum non legitur.

5. Futurum rem probabilem significans, quam vim interdum apud comicos habet (cf. Holtze II. p. 82), positum est c. 61,48 ‚Quem *colent* homines magis caelitum?' ubi Bentleius, Pleitnerus al. contra lectionem traditam coniunctivum postulant.

6. Perfectum consuetudinis, quod vocant, tribus locis reperitur, ac bis quidem in comparationibus:

c. 62,42 ‚Multi illum pueri, multae *optavere* puellae' (item v. 44); ibid. v. 53.55 ‚Hanc nulli agricolae nulli *coluere* iuvenci'; c. 64,147 sq. ‚Sed simul ac cupidae mentis satiata libido est, Dicta nihil *metuere,* nihil periuria curant; cf. Draeger. l. l. p. 229 sq.

7. Futurum exactum pro simplici semel positum est:

c. 101,9 (65,9) ‚Alloquar, *audiero* nunquam tua facta (?) loquentem, Nunquam ego te — Aspiciam posthac'. Qui usus frequentissimus est scriptoribus comicis (Holtze II. p. 86—88), sed rarior classicis (Draeger. p. 259 sqq.).

8. De formulis periphrasticis verborum haec notamus:

a) Participium praesentis cum formis verbi substantivi praedicatum efficit: c. 63,57 ‚Rabie fera *carens* dum breve tempus animus *est*'; c. 64,317 ‚Quae prius in levi *fuerant extantia* filo.' Exempla huius generis satis rara sunt; cf. Draeger. p. 267 sq.

b) Ex usitatis circuitionibus, quae participio perfecti passivi et verbo habere, facere al. fiunt, Catullus has usurpavit: c. 60,5 contemptum habere; c. 67,31 cognitum habere; c. 36,16 ‚Acceptum face redditumque votum', quae est formula linguae sacrae.

9. Quod ad coniunctivum in enunciatis primariis attinet, de usu optativi, cohortativi, iussivi haec memoratu digna videntur:

a) Poetarum more de certa persona coniunc-

tivus personae secundae positus est: c. 8,1.2; 32,7; 34,21.24; 61,96 sq.; 76,14.16; 68^{b},155.

b) Negationem *non* pro *ne* Catullus nunquam usurpavit; quem legimus c. 66,91 ‚non siris, (emendatio satis certa) sed affice', facillime coniunctivus potentialis explicari potest.

c) Sed *nec* compluribus locis reperitur:

c. 11,17—21 ‚Cum suis vivat valeatque moechis — Nec meum respectet ut ante amorem'; c. 61,126—128 ‚Ne diu taceat — nec nuces pueris neget'; c. 64,231 sq. ‚Tum vero facito ut memori tibi condita corde Haec vigeant mandata nec ulla oblitteret aetas'; ibid. v. 171—176 ‚utinam ne . . . tetigissent litora puppes, nec . . . religasset navita funem, nec malus hic . . . in nostris requiesset sedibus hospes'; c. 68^{b}, 43—50 ‚nec . . . tegat — nec . . . faciat', ubi *nec* correlative positum est. Cf. Handii Tursell. IV. p. 118—122 et Draeger. p. 287—288.

10. *Ut* pro *utinam* usurpatum est: c. 66,48 ‚Juppiter, ut Chalybon omne genus pereat!' Est usus linguae priscae (Holtze II. p. 161 sq.), qui aetate classica evanuit, interdum vero apud poetas scriptoresque aevi recentioris reperitur; cf. Draeger. p. 288.

11. De usu imperativi haec monenda sunt:

a) Pro *ne* semel legitur *non:* c. 66,80 sqq. ‚Non post unanimis corpora coniugibus Tradite . . . Quam' cet. Cuius generis a grammaticis adhuc duo tantum exempla in medium prolata sunt, nempe Ovid. her. 17,164 et art. am. 3,129; sed, ut recte docet Handius (Tursell. IV. p. 265), negatio his locis non ad imperativum, sed ad aliud enunciati vocabulum pertinet. Atque idem nostro loco accidit, si cum Italis, quos Hauptius, Heysius, Muellerus al. secuti sunt, pro librorum ‚post' scribimus ‚prius', vix vero, si retento ‚post' cum Schwabio ‚quam' in ‚quin' mutamus, nec vero si Hertzbergio assentimur, cui ‚non vos' magis placuit.

b) Deinde *nec* semel cum imperativo coniunc-

tum est: c. 8,9 sq. ‚Nunc iam illa non vult: tu quoque, impotens, noli (in codd. omiss.) Nec quae fugit sectare, nec miser vive'. Cf. Draeger. p. 301 sq.

12. Infinitivum praesentis loco perfecti, qui vulgo cum verbo ‚memini' coniungi solet, Catullus etiam a verbo ‚perhibent' et ‚ferunt' suspendit: c. 64,124 sqq. ‚Saepe illam perhibent . . . fudisse, ac tum . . . *conscendere* montes, tum . . . *procurrere* in undas'; 68[b],109 sq. ‚Quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum *Siccare* emulsa pingue palude solum.' Bene de hoc infinitivo Zumptius (gram. Lat. § 589) dicit: „eine lebhaftere Art der Darstellung, indem man sich in die Vergangenheit, als ob sie noch nicht abgeschlossen waere, hineinversetzt."

13. Infinitivus perfecti, ubi inf. praesentis exspectares, semel usurpatus est:

c. 69,1 sq. ‚Noli admirari quare tibi femina nulla, Rufe, velit tenerum *supposuisse* femur.' De significatione et usu huius inf. cf. Krueger. gram. Lat. §. 477 not. 2 et Draeger. l. l. p. 230—232.

III. Enunciationes interrogativae.

1. Interrogatio recta pro obliqua posita est:

c. 61,77 ‚viden ut faces Splendidas quatiunt comas?' c. 62,8 ‚viden ut perniciter exiluere?' ibid. v. 12 ‚Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt'; c. 69,9 sq., Quare aut crudelem nasorum interfice pestem, Aut admirari desine cur fugiunt.' Latissime hic usus patet apud Plautum et Terentium (Holtze II. p. 236 sq.); aliorum exempla v. apud Draeger. p. 307 sq.

2. Quod attinet ad interrogationes sine ulla nota interrogationis a Catullo prolatas, haec sunt notanda:

a) Comicorum illum usum, quo saepe interrogationis notam omittunt, ubi is qui interrogat id

quod nescit vel certe quod nescire adhuc se simulat sciscitatur (cf. Holtze II. 237—242), Catullus non imitatus est.

b) Duobus locis interrogatio pro enunciatione sumptiva posita est: c. 12,4 ‚Non credis mihi? crede Pollioni' et c. 62,6 ‚Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra'. Cf. de hoc usu Draeger. p. 311.

c) Omnibus aliis locis, quibus nota interrogationis abest, animi affectus significatur cf. c. 12,4; 16,12; 24,7; 29,5 sqq.; 30,2; 38,6; 42,13; 47,3 sqq.; 63,68 sqq.; 77,2; 97,10.11; 104,1.

3. De usu particulae *ne* haec promimus:

a) Duos locos c. 64,180.183, quibus pronomini relativo *ne* adiunctum est, iam Draeger p. 313 adnotavit. Sed nescio an errore factum sit, ut idem vir doctus locum c. 8,15 eum afferat, quo etiam pronomini interrogativo *quae?* particula *ne* adiecta sit. Nam libri praebent *ne te* G D L C p vel *nec te* H, quod varie emendare viri docti conati sunt. Certe Draegeri illud *quaene?* nihil aliud atque coniectura dubia est, quam ob rem illius usus, ubique rarissimi, exemplum citari nequit.

b) *Anne* semel c. 66,27 legitur.

c) Quod libri mss. suppeditant c: 97,2 *utrum* ob rationem metricam cum Italis in *utrumne* emendandum videtur (cf. Lachm. ad Lucret. p. 99 sqq.) quamvis ante Horatium non exstent certa scriptorum exempla, quibus *utrumne* fulciri possit.

4. In c. 88,4, ubi codices *èt quid* praebent, critici immerito *ecquî*: ‚Ecquî scis quantum suscipiat sceleris?' scripsisse videntur (cf. Draeger. p. 318). Vix in accusativo adverbiali *ecquid* offendet, qui et frequentiam perpenderit, qua hanc constructionem Catullus usurpavit (cf. infra de acc. n. 4) et exempla simillima inspexerit, quae apud ipsum Ciceronem leguntur (cf. Draeger. p. 317).

IV. Doctrina casuum.

A. De accusativo.

1. Accusativus transitivus verba sequitur, quorum significatio principalis est intransitiva:

a) Verba affectuum, ut sunt: horrere c. 64,159 praecepta; lugere 64,400 parentes, 66,21 cubile, 66,52 fata; gemere 101,14 (65,14) fata; ridere aliquem 53,1; 56,3; flere 39,5 unicum, 96,4 amicitias: etiam ab optimis prosae orationis scriptoribus passim transitiva usurpari satis constat. — Sed notabilia sunt haec exempla: *deperire* 35,12; 100,2 (saepe apud Plaut., semel ap. Terent., cf. Holtze I. p. 244 sq.) — *corruere* 68[b],52 ‚in quo me corruerit genere' (singulis locis ap. Plaut., Varr., Lucret.; sed *ruere* etiam ap. poetas class., cf. Verg. G. I, 105, Aen. I, 35 al.) — *adiurare* 66,40 ‚adiuro teque tuumque caput' (praeter h. l. tantum ap. Verg. Aen. XII, 816; sed *iurare* etiam ap. Cic., Ovid., Verg.) — *solere* 113,1 ‚solebant Mucillam,' ubi tamen accusativum non tam transitivum, quam ellipsi verbi transitivi explicandum existimo — *deprecor* (ἅπ. λεγ.)92,3 ‚deprecor illam' =devoveo, exsecror; versus 3. et 4. in libris optimis quidem non leguntur, sed ab Italis ex Gellio additi sunt; tamen vulgo vere Catulliani iudicantur.

b) Ex verbis compositis, quae tamquam poetarum vel prosae posterioris propria F. A. A. Bach. (Die Lehre v. d. Gebr. d. Casus in d. latein. Dichtersprache, Gotha 1848) p. 19 sqq. ex Catullo affert, haec fere notatu digna sunt: c. 25,6 *involare* pallium (etiam Tacit).; 64,6 *decurrere* vada salsa; 68[b],133 *circumcursare* aliquem (etiam Plaut. Rud. 1,4,4); 66,44 *supervehi* montem (Liv., Auson.); 61,166 *transferre* limen aureolos pedes. Quibus addi potest 64,341 *praevertere* vestigia cervae. — Sed alloqui 101,4; percurrere 15,19; 67,33; perambulare 29,7; adire 8,16 ‚quis te adibit?' commemoranda non erant; falso autem vir doctus, quem Draegerus p. 365 se-

cutus esse videtur, c. 40,5 ‚pervenire ora vulgi' citat, cum libri mss. ‚in ora' praebeant.

2. Accusativum transitivum more Graecorum cum verbis passivis coniunctum Catullus in solo carmine 64. usurpavit:

v. 64 Non contecta levi *nudatum* (coni.) *pectus* amictu; v. 65 Non tereti strophio *lactantis* vincta *papillas*; v. 122 ut eam devinctam *lumina* somno liquerit — coniunx; v. 207 Ipse autem caeca *mentem* caligine Theseus consitus; v. 297 restrictus *membra* catena.

3. Accusativus verbalis vel obiecti interni, quem vocant.

a) Verbo substantivum eiusdem stirpis (figura etymol.) vel propinquae significationis additum est:

c. 7,9 Tam te basia multa basiare; 61,117 Quanta gaudia, quae . . . gaudeat! 81,6 et 110,4 facinus facere. — Sed quae praeterea a Schultzio l. l. p. 34 enumerantur exempla: c. 40,7 amores (=amicam) amare; 63,76 iuga iungere (‚iuncta iuga' sunt iuga inter se iuncta, non vero iungendo confecta); ibid. v. 15 sectam exsequi; 64,320 vellera vellere (codd. pellere): neque accusativi verbales sunt, neque omnino dici potest in his exemplis Catullum „grammaticas leges a Graecis mutuatum esse". — Sed ad idem dicendi genus referenda sunt: c. 37,13 ‚Pro qua mihi sunt magna bella pugnata'; 6,6 viduas iacere noctes; 5,6 ‚nobis — nox est perpetua una dormienda', ubi constructio passiva certos nos reddit, in activa non accusativum temporalem, sed verbalem esse supponendum; cum enim poeta ‚noctem' pro ‚cubitu vel somno nocturno' scripsit, id quod in tempore fit cum ipso tempore commutavit. Denique in c. 45,18 libri mss. optimi suppeditant: ‚sternuit approbationem', quod etiam cum Schwabio al. in v. 9 restituendum videtur.

b) Obiectum est adiectivum generis neutrius:

c. 63,22 grave canit; 31,5 dulce ridentem; item

61,219 dulce rideat; 66,18 vera gemunt; 66[a],17 multa satis lusi; 2,6 carum nescio quid libet iocari; 61,7 suave olentis amarici; 42,8 turpe incedere. In lingua antiqua usus hic rarissimus est; saepius iam Cicero eum usurpavit et latissime patet apud poetas Augustae aetatis, cf. Draeger. p. 358 sq. Poetarum multa exempla congessit Bachius l. l. p. 14 sq.

4. Accusativus adverbialis.

Non tam ipsius rei insolentia quam frequentia usus notabile est, poetam saepissime accusativum pronominalium *tantum* et *quantum* loco adverbiorum modi ad verba affectuum adiungere:

c. 8,5 quantum amabitur nulla; 37,12 amata tantum quantum amabitur nulla; item 87,1 tantum amatam quantum; 35,3 sqq. ni te perdite amo — quantum (sc. amat) qui pote plurimum perire; 68[b],53 cum tantum arderem quantum Trinacria rupes; ib. 125 tantum gavisa est; 96,6 quantum gaudet; 22,11 tantum abhorret ac mutat.

In c. 68[b],149 pro lectione tradita *quod potui* Muretus al. scripserunt *quo potui*, L. Muellerus *quâ potui*. Sed recte fortasse *quod potui* cum Lachmanno retinendum est, ut dictum sit pro *quantum* vel *quoad potui*, cuius usus alibi exempla non pauca reperiuntur cf. Terent. Eun. II,1,8 sq. Heaut. III,1,7. V,4,15. Ad. III, 5,1; Verg. Ecl. III, 70; Ov. Her. VIII, 5. Remed. 167; cf. Kraner. ad Caes. B. G. I,35,4 et Kuehnast. l. l. p. 155.

Locos octo, quibus ad vim negationis augendam Catullus *nihil* sive *nil* pro *non* posuit, qui usus maxime familiaris est comicis, iam Hupius l. l. p. 43 enumeravit; quibus addendus est c. 6,12.

Denique haec reperiuntur: c. 56,3 Ride, *quidquid* amas, Catullum; 22,18 *idem* omnes fallimur. De loco c. 88,4 *Ecquid* scis? iam supra diximus.

5. Accusativi praedicativi constructiones minus usitatas has notamus:

c. 63,85 sese rapidum incitare animo; 64,270

Zephyrus proclivas inci'at undas; 63,93 alios age incitatos, alios age rabidos (codd. ‚rapidos'); 64,237 te reducem sistet; 22,19 quem non in aliqua re Suffenum videre possis, cf. v. 11 et 13.

6. Accusativus localis.

Omissa praepositione accusativus *domum* cum adiectivo coniunctus est (cf. Madvig. gr. Lat. §. 233): c. 68[b],74 flagrans advenit amore Protesilaeam Laudamia domum; ib. 144 Fragrantem Assyrio venit odore domum. — Similiter *domum paternam* scripsit Enn. Medeae fr. 15 et *domum regiam* Sall. Jug. 76,3; sed alia huius modi exempla non citantur. Mea quidem sententia posterior Catulli locus satis notabilis est; sed facile adiectivum admittendum videtur, si genitivi locum tenet, id quod aliis locis a nobis allatis accidit. Nescio an eam ob causam Doeringius in v. 143 pro *paterna* recte *paternam* postulaverit.

B. Dativus.

1. Constat poetas aetatis Augustae saepe verba *pugnandi*, *certandi* similia cum dativo personae coniungere (cf. Bach. l. l. p. 52 sq.). Qua constructione Catullus semel usus est c. 62,64: ‚noli pugnare duobus'; attamen non primus eam a Graecis mutuatus est, ut Draegerus p. 375 assert, sed etiam apud Lucret. 3,7 legimus: ‚quid enim contendat hirundo cycnis?'

2. Dativum cum verbo *movendi* coniunctum, ut terminus significetur, ad quem motus tendit, Catullus semel usurpavit: c. 64,111 ‚Nequidquam vanis iactantem cornua ventis.' Qui usus, cum a prisca lingua alienus sit, passim iam apud Ciceronem et Caesarem reperitur cf. Draeger. p. 393 sq., sed familiarissimus est poetis aetatis Augustae cf. Bach. p. 50.

3. Participium *iunctus*, ut etiam apud Ciceronem, semel dativus sequitur: c. 66,66 ‚Callisto iuncta Lycaoniae'. *Coniungens* c. dat. legitur c. 64,10. Sed comparari 61,65.70, se conferre 64,343, componi

68[b],141 = sich vergleichen, coniunctus 62,54, conciliatus 68[b],130, etiam in prosa oratione cum dativo construuntur. — Alia verba, quae poetae cum dativo coniungere solent (cf. Bach. p. 51 et 53 sq.), apud Catullum non inveniuntur.

4. Dativum personae ex verbis passivis suspensum, quem loco praepositionis *ab* positum dicunt, Catullus his locis usurpavit:

c. 4,23 neque ulla vota litoralibus diis sibi esse facta; 8,5 amata nobis; 10,3 mihi visum est; 22,4 esse illi perscripta; 34,13 tu Lucina dolentibus dicta puerperis; 35,17 est enim venuste magna Caecilio incohata mater; 37,13 mihi sunt magna bella pugnata; 40,3 deus tibi non bene advocatus; 77,1 Rufe mihi frustra ac nequicquam credite amico; 116,5 video mihi nunc frustra sumptum esse laborem. — Semel etiam ad tempus non compositum dativus adiunctus est: c. 68[b],115 pluribus ut caeli tereretur ianua divis.

5. Dativi commodi usum liberiorem Bachius p. 56 cognoscit in c. 46,3 ‚Jam caeli furor aequinoctialis Jocundis Zephyri silescit aureis‘, sed facilius ablativus instr. explicatur. — Qui vero in c. 64,140 ‚mihi non haec miserae sperare iubebas‘ legitur dativus, non a verbo *iubere* pendet, quam constructionem primus Tacitus usurpavit (cf. Draeger. Synt. u. Stil des Tacit., Lipsiae 1868, p. 20), sed dativus commodi ad *sperare* trahendus est.

Exemplum dativi ethici habes in c. 63,56: ‚Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem.‘

6. Dativus ad nomen substantivum adiunctus, ubi genitivum exspectes, his locis reperitur:

c. 64,357 testis erit magnis virtutibus; 64,203 supplicium saevis factis exposcens. Sed dativus re vera non tam ad solum substantivum referendus est quam ad totum enunciatum (cf. Madvig. gram. Lat. §. 241 not. 3). Liberiorem autem constructionem habes in c. 64,300 ‚coelo te solum, Phoebe, relinquens Unige-

namque simul *cultricem montibus* Idri' et 66,58 ‚Zephiritis — Graia *Canopieis incola litoribus.*'

C. Genitivus.

1. Genitivus partitivus.

a) In constructione huius genitivi, suspensi ex neutris singularibus pronominum vel adiectivorum quantitatis, Catullus nihil quidem praebet, quod ab optimo quoque scriptore Latino alienum sit; attamen frequentia notabilis est, qua in carminibus minoris ambitus hoc dicendi genus usurpavit, ut quodammodo verum sit, quod iam Heusingerus (ad Vechneri Hellenolexiad. p. 200) annotavit: „Poetarum maxime hoc atticismo (!) delectatur Catullus". Ac iam ut poetae usus plane cognoscatur, operae pretium videtur, exempla omnia breviter afferre:

c. 1,8 quidquid hoc libelli; 31,14 quidquid est cachinnorum; 37,4 quidquid est puellarum; 6,5 quid febriculosi scorti; 6,14 quid ineptiarum; 28,4 quid rerum geritis; 38,7 paulum quid allocutionis; 91,10 aliquid sceleris; 3,2 quantum est hominum venustiorum; 9,10 quantum est hominum beatiorum; 88,4 quantum sceleris; 5,13 tantum basiorum; 14,7 tantum impiorum; 99,6 tantillum vestrae demere saevitiae (ubi tamen ‚vestrae saevitiae' etiam dativus esse potest); 39,21 amplius loti. — Loco genitivi semel congruentia casus reperitur in c. 96,1: quicquam gratum acceptumve.

Adverbia loci cum genitivo coniuncta apud Catullum non inveniuntur.

b) Loci, quibus genitivus partitivus ex neutris pluralibus adiectivorum vel participiorum pendet, tres leguntur: c. 66,74 quin condita verei pectoris evolvam; c. 80,6 grandia tenta medii viri; c. 29,24 urbis — perdidistis omnia (ubi Hauptium, Schwabium al. recte ‚orbis' scripsisse censeo). — Denique in c. 63,16 libri mss. suppeditant: ‚tulistis truculenta pelagi'; sed plerique interpretes recentiores in hoc genitivo offendentes ex duobus locis Lucretianis pluralem *pelage*

restituendum existimaverunt. Tamen nescio an lectio tradita retinenda sit. Nam simili ratione ipse Cicero in Verr. I,6 scripsit: ‚proponit inania mihi nobilitatis', ubi Naegelsbachius l. l. p. 74 non recte mihi genitivum partitivum interpretari videtur, cum re vera possessivus sit. Praeterea non primi poetae aetatis Augustae scriptoresque posteriores hoc genitivo usi sunt, sed iam Lucretius exempla non pauca eaque satis insolentia ut: caeli serena, caerula caeli, strata viarum al. praebet (cf. Holtze „Synt. Lucret. lineamenta" p. 49).

c) Adiectiva masc. generis, quae non sunt numeralia, Catullus in gradu positivo cum genitivo part. non coniunxit. — *Unus* cum *gen.* legitur c. 1,5 ‚unus Italorum', cum praep. *de* c. 37,17, cum *ex* c. 62,32; 68[a],36. Cf. de ea re Kuehnast. l. l. p. 79. — In c. 66,9 lectionem traditam *multis deorum* Hauptius (Quaest. Catull. p. 81), quem Schwabius et Muellerus secuti sunt, recte mutavit in *cunctis deorum,* cum etiam in v. 33 dicatur: ‚Atque ibi me *cunctis*—divis pollicita est'. Est vero constructio rarissima, quae ante Ovid. met. IV,631 alibi non reperitur.

d) Duobus locis: c. 61,209 sq. ‚Qui vostri numerare volt Multa milia ludei' et 66,78 ‚Unguenti Surii (coni.) millia multa bibi', paulo liberius res numerandae, nempe *genera* sive *rationes* et *onyges*, omissae sunt.

2. Genitivum qualitatis non adiecta notione generali, ex qua suspendi solet, Catullus bis posuit: c. 15,17 A tum te miserum malique fati; 63,39 oris aurei Sol.

3. Genitivos pretii *assis* et *pili* (cf. c. 5,3 unius aestimemus assis; 42,13 non assis facis? 10,13 non faciens pili cohortem; 17,17 nec pili facit uni), qui ex usu linguae vulgaris esse videntur, apud solum Catullum legi, iam Draegerus p. 427 monuit.

4. Genitivi appositionalis unum exemplum notavimus: c. 68[b],120 caput seri nepotis.

5. Duos genitivos, quorum alter ex altero pendeat, Catullus raro composuit; tres tantum locos afferre possumus: c. 49,1 disertissime Romuli nepotum; 55,26 non Rhesi niveae citaeque bigae (sc. si ferar volatu); 78,1 quorum est lepidissima coniux alterius. — Tres vero genitivos ita inter se coniungere a poeta prorsus alienum est.

6. Ex adiectivis relativis cum genitivo coniunctis haec commemoramus:

In c. 12,9 legitur: leporum *disertus* ac facetiarum (apud solum Catullum). Deinde in c. 63,4 libri mss. praebent *vagus amnis*, quod plerique emendaverunt in *vagus animi*, cum Lachmannus et Muellerus scripserint *vagus animis;* sed quid verum sit, vix diiudicari potest. De genitivo *animi* disputavit Draegerus p. 443. Denique *proximus* c. gen. reperitur c. 66,94: proximus Hydrochoi.

7. Exemplum genitivi exclamationis citari solet c. 9,5: ‚o mihi nuntii beati!‘ sed fortasse hoc loco pluralis generis statuendus est. Praeter locum Propert. 4,7,21 ‚foederis heu taciti!‘ eiusmodi genitivus cum interiectionibus coniunctus apud scriptores Latinos non legitur. De hoc Graecorum dicendi genere cf. Krueger. gram. Graec. § 47,3 not. 2.

D. Ablativus.

1. Ablativus separationis.

a) Sequitur verba simplicia: Agere: Parnasi vertice c. 64,390. Ciere: singultus udo ore 64,131. Fugere: sinu 37,11. Manare: Laethaeo gurgite 65,5, ore 65,24. Sed cedere 63,19 et solvere 61,53 etiam a scriptoribus prosaicis cum solo ablativo coniunguntur.

b) Verba cum *ab, ex, de, pro* composita Catullus eadem fere frequentia cum praepositione atque cum solo ablativo construxit. — *Dimittere* pectore c. 64,208 legitur, sed *digressus* a (libri optimi: *cum*) primo carmine 64,116. — Denique verbis cum *re* et *se* compositis, quae reperiuntur, praepositio ad-

iecta est: reglutinare ab unguibus 25,9; remotus a domo 63,58; secedere a corpore 64,189; secubare a papillis 61,105; sevocare a doctis virginibus 65,2.

c) Nominibus personarum et terrarum semper praepositio adiuncta est.

2. Ablativus originis.

Optimorum scriptorum consuetudinem secutus Catullus tantum participia cum solo ablativo construxit: (c. 36,11 caeruleo creata ponto; 64,1 Peliaco prognata vertice), cum verbis finitis praepositionem adiecerit (c. 64,198 nascuntur pectore ab imo; 90,3 ex matre et nato gignatur oportet).

3. Verbo omisso poeta non raro ad substantiva ablativum cum praep. *a* et *ex* addidit, nunquam vero solum ablativum:

c. 64,257 e divolso membra iuvenco; 61,226 sq. talis illius a bona matre laus; ib. 228 unica ab optima matre fama; 66,8 e Bereniceo vertice caesariem; 81,3 Tuus moribunda a sede Pisauri hospes. De hoc poetarum usu, qui etiam a prosa oratione non alienus est, disputavit Bachius l. l. p. 66 nota.

4. Ablativus loci, ad interrogationem *ubi?* respondens.

Saepe Catullus solum ablativum cum verbis *sedendi, cubandi* similibus coniunxit: c. 31,10 Desideratoque acquiescimus lecto; 50,15 membra lectulo iacebant; 64,309 roseo niveae residebant vertice vittae; ib. 316 Laneaque aridulis haerebant morsa labellis; ib. 303 niveis flexerunt sedibus artus; 68ª,29 Frigida deserto tepefactet membra cubili. — Contra praepositio addita est: c. 17,19 velut alnus In fossa Liguri iacet; 52,2 Sella in curuli struma Nonius sedet; 64,176 in nostris requiesset sedibus; 68ª,6 requiescere — in lecto caelibe.

Deinde compluribus locis ablativus *coelo* reperitur: c. 62,20 coelo fertur; ib. 26 coelo lucet; ib. 1 Vesper Olympo (i. e. coelo) — lumina tollit; 24,299 Advenit, coelo te solum, Phoebe, relinquens. L.

Muellerus quidem interpungens: ‚Advenit coelo, te . . .‘, hoc loco ablativum separationis intelligit; sed quamquam ad ipsam sententiam utraque interpunctio aeque apta est, tamen prior tenenda videtur, cum Catullus verba *venire, advenire* semper cum praepositione construxerit, cf. c. 4,23; 61,89; 64,279.

Praeterea leguntur: c. 64,389 terra procumbere; 60,1 Num te leaena montibus Libystinis — procreavit? 64,280 quos Thessala magnis Montibus ora creat; 17,1 ponte ludere longo. — Sed in c. 55,3, ubi critici praepositionem deleverunt, cum loco falso posita sit, recte fortasse cum Silligio scribendum est: Te *in* campo quaesivimus minore.

Liberior ille ablativi usus apud scriptores priscos rarissimus est. Holtzius l. l. I. p. 74 sq. unum tantum exemplum notabile affert ex Naev. Tarentilla fr. 4: ‚utrubi cenaturi estis, hicine an triclinio?‘ Nam in Ennii Androm. Aechmal. fr. 12: ‚Hectorem curru quadriiugo raptarier‘ et Plaut. Men. v. 870: ‚Set quis hic est, qui me capillo hinc de curru deripit?‘ facillime ablativi explicantur instrumentales. ‚Sed in ipso Naevii loco ablativus eo excusatur, quod adverbium *hicine* praecedit. Plura iam exempla Lucretius praebet, cf. Holtze „Synt. Lucret.“ p. 8 sq. Tum inde a Lucretio et Catullo usus ille magis magisque apud poetas increbrescit atque etiam ad nomina terrarum extenditur, cf. Bach. p. 66 sq. Attamen iam apud Plautum et Lucretium ablativum *Acherunte* legimus et praeter eum ap. Lucret. *Atthide.*

5. Ablativus instrumenti:

a) Semel personam significat: c. 14,5 Cur me tot male perderes poetis?

b) Locum praepositionis *in* tenet, ut non raro apud poetas: c. 64,231 memori tibi condita corde Haec vigeant mandata; ib. 183 lentos incurvans gurgite remos; ib. 225 vago suspendam lintea malo; 66,68 alto mergitur Oceano. — Sed quod legitur in c. 64,250 ‚curas volvere animo‘ et in c. 61,177 ‚uri

intimo pectore', ex communi loquendi consuetudine esse constat.

c) Contra loco instrumentalis praepositio *a* bis cum verbis neutris composita est: c. 64,275 ‚Purpureaque procul nantes (i. e. undae) ab luce refulgent' et 96,1 ‚Si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris Accidere a nostro, Calve, dolore potest'. „Indicatur enim praepositione res, per quam aliquid ita, ut dicitur, se habeat aut unde sit, quod est", ut bene observat Handius in Tursell. I. p. 28 sq.

Eadem ratione semel praepositio etiam cum adiectivo coniuncta est: c. 66,63 uvidulam a fletu; cf. Hand. ibid. p. 29.

6. Ablativus causae.

a) Ablativus causam externam i. e. extra subiectum positam significat, quae plerumque praepositione *propter* exprimitur: c. 14,2 *munere isto* Odissem te odio Vatiniano; cf. Draeger. p. 404.

b) Deinde memorandus est ablativus, qui legitur in c. 87,3: ‚Nulla fides ullo fuit unquam foedere tanta', in quo offensi Doeringius et Froehlichius coniecerunt: ‚unquam *in* foedere'. Sed hac coniectura non opus est; nam ablativus causae statui potest, ut significetur: *gemaesz, zufolge*, qua vi etiam optimi scriptores interdum ablativum loco praepositionis *ex* posuerunt.

7. Ablativus comparationis pro *quam cum acc.* positus unus tantum notatu dignus est: c. 23,12 corpora sicciora cornu — habetis.

8. Ablativus qualitatis liberiore constructione (cf. quae supra de genitivo qual. diximus) his locis positus est: c. 64,294 sollerti corde Prometheus; 60,3 Num te leaena . . . . tam mente dura procreavit et taetra; 60,5 a! nimis fero corde? — His addo locum, ubi ablativus qual. pro praepositione *in* positus est: c. 28,11 ‚pari fuistis casu', id quod interdum fit, si rei status vel conditio indicatur; cf. Madvig. gr. Lat. §. 272 not. 2.

9. Ablativi ex adiectivis suspensi notabiles sunt hi: C. 89,3 ‚omnia *plena puellis*‘; sed usitatior cum genitivo constructio reperitur: c. 13,8; 36,19; 44,12. — C. 64,11 ‚*rudem cursu* .... Amphitriten‘. Praeter h. l. *rudis* c. abl. legitur tantum ap. Ovid. Trist. 2,424 et Vell. 2,73,1. — C. 28,1 ‚cohors *inanis sarcinulis*‘; etiam Cicero Att. 2,8,1 *inanis* c. abl. coniunxit, sed vulgo genitivus usurpatur. — Denique in c. 66,77 libri mss. suppeditant: ‚*omnibus expers*‘, quod, cum intelligi nequeat, viri docti diversa ratione emendare conati sunt. Mihi quidem, si coniectura uti licet, scribendum videtur: ‚dum virgo quondam fuit *coniugis* expers‘. Quod si statuimus, mutatione satis facili et optime sententiae provisum et genitivus restitutus est, quem Catullus etiam aliis locis c. 64,338 et 66,91 cum *expers* coniunxit. Insuper ablativus post *expers*, tribus locis Plautinis (cf. Holtze I. p. 121) et uno Sallust. Cat. 33,1 exceptis, alibi non reperitur.

10. Denique ablativus semel ad substantivum verbale adiectus est: c. 64,340 vago certamine victor. Cf. de ea re Madvig. gr. Lat. §. 278, b.

V. De praepositionibus.

1. *Cum*. Duos locos: c. 61,19 ‚bona cum bona Nubet alite virgo‘ et 98,3 ‚Ista cum lingua — possis — lingere‘, ubi *cum* arctam coniunctionem personae et rei significat, iam Bachius p. 72 adnotavit.

2. *De*. Vi temporali usurpatum valet = „unmittelbar nach“: c. 63,44 de quiete molli. Cf. Hand. Tursell. II. p. 207.

3. *In* c. abl.

a) Poetae non raro verbis affectuum *in* c. abl. personae adiungunt, ut indicent, in aliquo et causam

alieni affectus esse positam et totam affectus vim in eo collocari.

Exempla Catulliana haec sunt:

c. 45,23 Uno in Septumio fidelis Acme Facit delicias libidinesque; 61,101 in mala Deditus vir adultera; 64,98 in flavo saepe hospite suspirantem; ib. 119 Quae misera in gnata deperdita laetabatur. Cf. Bach. p. 67 not. et Draeger p. 606 sq.

b) Deinde ex analogia verborum *ponendi*, *collocandi* cet. constructa sunt: c. 70,4 scribere in vento et aqua; 99,4 in cruce suffixum; 64,72 serere in pectore curas.

4. *Subter* c. abl. coniunctum legitur c. 65,7: ‚subter litore', qua constructione praeter Catullum solus Vergilius usus esse videtur.

5. *Ad.* In c. 68^{b},69: ‚Ad quam communes exerceremus amores', *ad quam* paulo insolentius pro *in quam* vel *in qua* dictum est. — Sed in c. 3,10: ‚Ad solam dominam usque pipiabat', *ad* non pro *apud* positum, verum cum verbo ‚pipiabat' coniungendum esse, ut significetur: „er piepte nach der Herrin hin", recte monuit de Leutsch. Philol. X. p. 738.

6. *Sub* c. accus. coniunctum, ubi ablativum exspectes, extensionem in inferiore parte alicuius rei designat: c. 64,271 ‚Aurora exoriente vagi sub limina Solis'. Est constructio satis rara. Klotzius in Lexic. singulos locos affert ex Ennio, Auct. b. c., Horat., quibus addi potest Tacit. h. 5,11.

7. *Tenus* c. genit. constructum est: c. 64,18 nutricum tenus. Cf. Draeger. p. 603 et Kuehnast. l. l. p. 85.

DUE DEC 17 '40